

2081

LITURGICI.

2082

bentur Clerici orare *signanter pro Illustrissimo Duce N. Austriae*, et fol. 125. ubi praescribitur Cantus chori in circumgestatione Reliquiarum, addit Rubrica: *Populus uero sequens habeat suas leysfas. Ritualia Passaviensia hoc Vol. relata dixerunt suas Alleluias, vel Vociferationes; at vero τὸ Leiffas a corrupto kyrie eleison descendere videtur.*

DCCCXLVI.

H. 2 Codex membraneus lat. Sec. XVI. Folior. nunc 78. f. luculente, eleganterque perscriptus, deauratus, et picturatus exhibet Opus liturgicum ita praenotatum: *Ut ea que ob varietatem inquirendi in sacris missis celebrantium animum sepe perturbant, facilius in posterum inueniri possint, attentiusque in tam sacro misterio et deuotius ut decet vacetur, Gasparis de Capris Episcopi Asten. industria aliquarum pontificalium missarum cum suis solitis ceremonijs prout sequitur ordo ad sui et successorum maxime commodum inuentus est. Praeit folium Insignia Julii III. (Joh. M. de Monte) P. M. repraesentans cum lemmate: *Mons in quo beneplacitum est Deo habitare, et ὑπογεαφῆ: Aureus hic mons aereus est felicitis memorie Julio III. Pont. max. argopastori vigilantissimo dicatus cuius gratia Gaspar de Capris Presul Asten. designatus. Accepti memor benefitii monere censuit in hoc pontificalium missarum ordine pro sa-**

*lute et requie sue sanctitatis orandum esse. Nam etsi beatus in vita, quia mortalis, obiit die 23. Martij. M. D. L. V. Designatus est Gaspar de Capris seu Caprius Taurinensis ad infulas Astae, quae in Liguria mediterranea Sabaudici juris est, a. 1550. et a. 1568. infelici prolapsu scalis illius periit. Plura de eo Ughellius Ital. sacr. T. IV. p. 399. qui si Codicem nostrum vidisset, reperisset fol. 4. gentilitium Viri Insigne: nigram capri προτομην in area aurea cum lemmate: *Omne bonum ex alto*, quo fortasse ad Julii III. Montes adluditur. Inest porro in eo Series Missarum Pontificalium pro praecipuis anni Festis ducto a B. V. Annuntiatione initio, atque inter eas etiam Missa in die S. Secundi martiris Astensis, et S. Eusebii nempe Vercellensis. Picturae, quae singularum frontem ornant, non in ipsa membrana effictae, sed glutino ei superinductae sunt. Inter 58. et 60. folium excidit.*

DCCCXLVII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3300 XIII. Folior. 78. 4. maj. splendide exaratus, miniatus, Literis initiorum partim auro fulgidis, partim jucunde picturatis Ceremoniale Abbatis est complexum Evangeliorum principia, Antiphonarium, Hymnarium, Praefationes, Canonem Missae, atque Orationarium pro toto anni decursu. Antiphonario imposita sunt antiqua modulandi cantus signa ante *Guidonem*

2083

C O D I C E S

2084

nem Aret. usurpata. Ante Canonem comparet deaurata in area Servator cruci adfixus adstante

Matre et Discipulo. Prosa in die *Michaelis* Archangeli ita sonat:

Ad celebres rex celi celice laudes cuncta

Pangat canora katerua symphonia.

Odas atque soluat contio tibi nostra.

Cum iam renouantur michaelis inclita ualde festa-

Per quem letabunda perornatur machina mundi tota.

Nouies distincta pneumatum sunt per te facta. (agmina)

Sed cum uis facis hec flammea per angelicas officinas.

Inter primeua sunt hec nam creata tua cum sinus nos ultima factura sed ymago tua.

Theolyca kathegorizant symbola nobis hec ter tripartita per priuata officia.

Plebs angelica phalanx et archangelica principans turma uirtus uranica ac potestas almiforma. (phona)

Dominantia numina diuinaque subsellia cherubim etherea ac seraphim ignicoma.

Vos o michabel celi satrapa Gabrielque dans uera uerbi nuncia

Atque Raphael uite uernula transferte nos inter paradyscolas. &c.

Reliqua uidefis T. I. *Thef. Anecd. Pezii*. p. 333. inter *Sequentias Notkeri Balbuli*, cui tumida haec *Pseudodionysii Areop.* imitatio tri-

buitur. Eam selegi, quod *Michael* Ecclesiae Coenobii *Lunaelacensis* Patronus esset. Ita enim ad calcem Codicis:

Hartwico de Talmaizign.

Scriptori requiem lector deponce perbennem.

Sancto michabeli In Mense

Non uideat christum librum qui subtrabat istum.

DCCCXLVIII.

R. 1087 Codex chartaceus lat. Sec. XV-III. Folior. 243. 4. pereleganter scriptus est *Magister Caeremoniarum sacris ritibus in suo munere instructus, Sive Repertorium Caeremoniale Alphabeticum &c. Laur. Vigili de Nicollis, Nob. Tridentini, SS. Theol. et I. V. D. Canonici ad Nives, et Consistorialis*

Salisburgi. MDCCXXX. Dicatur utilis hic labor *Carolo VI. Imp.* qui Autorem *perorantem ex Ambone Caesareo in PP. Augustinianorum Basilica bis coram audire dignatus est, Salisburgo die 1. Octob. 1730. Praeunt Decreta praelimnaria Sac. Congr. Rituum, Materiam Caeremonialem concertia ab a. 1593. ad a. 1706. Ad quorum finem: Alia similia De-*